



IIII.

NON REVERTAR IN VLTVS.



*Vincere, vel pulchra laus est occumbere morti,
Sed tremulo à pugna turpe redire gradu.*

RHINO-



RHINOCEROS à cornu quod in naso unicum
habet, quasi naricornis dici potest. Martialis
de gemino cornu licentia poetica loquitur, cum
alterum in dorso potius tuberosum quippiam,
nō proprie cornu sit. Taurum Ethiopicū Pausanias lib. v.
& libr. ix. vocat, nec apparet Aristotelem huius animalis
fecisse in suis scriptis mentionem. Huius accuratam desi-
gnationem curavimus exprimi ab icone in as eleganter in-
cisa, ex Hispania nuper allata. Tradit autē Suetonius Au-
gustum Imperatorem primum Populo Romano Rhinocero-
tem spectandum exhibuisse, quamvis Plinius hoc Pompeio
Magno ascribat. Alterum hunc habet hostem Elephas, cum
cornu ad saxa limato sese ad pugnam pręparet. & in dimi-
catione cum Elephantum alvum adversarii ut molliorem pe-
tat. Eamque pugnam describit quoque Oppianus lib. ii. de Ve-
natione, ac exemplum commemorat Münsterus lib. v. Cos-
mographia, ubi Elephas à Rhinocerote victus succubuerit.
Quod si ventrem hostis sui non præoccupaverit Rhinoceros
(ut Alianus refert) proboscide Elephantum feritur, ac den-
tibus tandem dilaniatur. Hoc Symbolo usus est Alexander,
Dux Florentinus, gener Caroli V. Imper. Roman. eo innuens,
pro conquirenda nominis gloria, atque insuper ad Impera-
toris sui existimationem propugnandam, magno animo
se nullum periculum subterfugere, atque eam ob caus-
sam vel præclaram victoriam reportaturum, vel ipsam
etiam mortem subiturum esse. Ascriptum fuit di-
ctum Hispanicum, NON BVELVO SIN VINCER, id
est, non discedam sine victoria, alludens ad versiculum
Martialis:

Rhinoceros nunquam victus ab hoste redit.

VIM

V.

VIM SVSCI
TAT IRA.



*Non temere cœcam vir fortis fertur ad iram,
Iusta sed indigne lusus in arma ruit.*

B

RHINO-



RHINOCEROTEM nisi admodum irritatum ad iram provocari, & commotum illam agre deponere, Pierius in Hieroglyphicis annotat, unde excandescentiam vehementem, post lenitudinem irascendi, per hoc animal veteres ex Oro indicasse refert. Quod etiam ex Martiale colligitur, qui hoc de eo epigramma composuit.

Sollicitant pavidum Rhinocerotum magistri,
Seque diu magnæ colligit ira feræ.
Desperabantur promissi prælia Martis,
Sed tamen is rediit cognitus ante furor.
Namque gravem gemino cornu sic extulit ursorum,
Iactat ut impositas taurus in astra pilas.

Sic quoque viri fortes, nisi valde irritati, & aliqua insigni injuria stimulat, non cito deponunt animi sui moderationem, sed ad justam indignationem nimium provocati, tandem sese acrius incitant, & egregie viros exhibent. Quemadmodum autem eiusmodi heroicus impetus in magnis viris merito locum suum habet, ac laudem quoque meretur, sic absque discrimine non ubique imitandi sunt, sed potius aurea sententia ante oculos habenda, QVO MAIOR, EO PLACABILIOR. Quod dictum CL. Vir & J. C. D. Nicolaus Reusnerus in Symbolis Imperatoriis, prolixè explicat. Et Euripides præclare monet, ἀσχεῖν σώφρονα ἐνεργεσίαν, εἶναι πρὸς σόφῃ ἀνδρὸς, id est, sapientis esse operam dare ut moderate indulgeat ira. Versus autem integri, unde hæc desumpta sunt, leguntur apud Virgilium de Entello, lib. v. Æneid.

At non tardatus casu, nec territus heros
Acrior ad pugnam redit, & vim suscitât ira.

NIHIL